Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1757

Quelle:
Copyright:

erit, nisi dicas *Mathiam Parisiensem* se ipsum, ut Autorem a se diversum, citasse, quod vix probabile. *Codicem* porro in *Bohemia* scriptum testantur Membranae duae eum ambientes, quarum anterior continet Notitiam publicam Census *mediae Sexagenae grossorum denariorum Pragensium* venditi a *Wenceslao Waijgharth* Cive *Eylavienſi Nicolao* Plebano in *Gerczan*, Cujus testes *Jacobus anas Cuba judex — — Frana Sutor. Joannes Mudry. Wencesl. Synek. Martin. Holecz. Johannes doleator. Datum et actum in Eylav. Anno domini Millesimo quadringentesimo XVI°. feria tercia post octauas epifanie domini.* Posteriori fidem facit *Nicol. Werkmeister Judex* et *Nicol. Coblenz Magister ciuium* cum aliis Consulibus *Ciuitatis Zacen.* a *Nicolao de Strancz* certam *Grossorum Pragensium* Summam persolutam esse *Bertoldo Kezlen.* Notae temporis abscissae fuere.

CCCCXLVII.

487 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 259. 4. manu difficili minute scriptus, foliis cum in medio, tum in fine mutilatus, multumque situ passus est *Concordantia IV. Evangelistarum*, cujus Prooemium incipit: *Lex seu doctrina evangelica perfectissima est per se sufficiens ad regimen ecclesie militantis cui non licet quicquam addere uel subtrahere* &c. Ita totidem paene verbis *Joh. Hussus* in Scripto *de Sufficientia legis Christi*, T. I. Opp. 1715. p. 55. *Lex Jesu Christi est sufficientissima, requisita ad regimen Ecclesiae militantis, cui non licet quicquam addere vel subtrahere.* Ut adeo ab hac Thesi Magistri Tractationem suam auspicari voluisse videatur Discipulus aliquis, aut Tractatio ad ipsum *Hussum* referenda sit. Atque posterius istud aliquam inde veri similitudinem nanciscitur, quod, quamvis inter *Hussi* Opera nemo *Concordiae Evangelicae* meminerit, nostra tamen praesens cum Ejus *Historia Gestorum Christi* et *Passionis Christi ex 4. Evangelistis in unum collecta* P. II. *Opp.* p. 1. et 8. non parum conveniat, haecque duo Opuscula majoris Operis veluti Compendium haberi queant.

Codicem anno 1516. possedit Sacerdos *Bohemus* ille *Wenceslaus Rossa Chrudimens.* cujus plura κτηματα jam hactenus retulimus.

CCCCXLVIII.

Codex chartaceus lat. boh. 668 Sec. XV. Folior. 189. 4. currente calamo, non una manu conscriptus *Sermones* continet in Dominicarum Evangelia et Epistolas, non observato temporis ordine, nec deductos semper, sed non raro συνοπτικως exhibitos. Ita Thema Sermonis I. *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Joh. XV.* mox sic digeritur: *Et sic sermo*